

habet. Scio tribulationem tuam. D. Primasius; Scio tribulationes tuas: nempe quas tu, & populus tuus sustinetis.

204. Smyrna significat myrrham, & canticum. Alb. Mugn.

Ex quo patet, quantum Ecclesia illa aspe-
myrrha tribulationis fuerit, & ideo civitas
merito nomen habet Smyrna, id est iuxta
radicem Græcam, Myrrha; cum hac etiam
significatione canticum significare tenet Al-
bert. Magnus in præfati; qui ait. Smyrna in-
terpretatur canticum, vel quasi myrrha, quod
bene compositis Martyribus, qui cantabant in cor-
de suo canticum laetitiae, & tamen erant in myr-
rha, hoc est amaritudine temporalis pœnæ, &
bene dicitur quasi myrrha, quia per laetitiam
mentis superabant afflictionem corporis. In hoc
Episcopo significabatur status Ecclesiæ, seu
cœtus fidelium primitivo tempore. Inde recte
hæc civitas dicitur Smyrna, que simul signifi-
cat myrrham, mortificationem, ac tribula-
tionem, ac Canticum, quod laetitiam, & exul-
tationem dicit, sed quomodo hæc possunt co-
herere cum videantur inter se maximè discre-
pare? quia Martyres, ac Sancti ita sunt in cru-
ciatibus, ac pœnis, ut simul sint in mi-
stra tribulationum, ac in summa iucunditate, &
laetitia, cum pro Christo vitam effundant,
ut videantur esse in suavi, ac sonoro Canti-
co myrrhæ iucunditatis, quo Deo caneban-
laudes.

204. Hoc didicerunt sancti Martyres à capite
Martyrum (Christo Iesu, qui peracta cœnâ, cum
furgeret à cœnaculo, ut tenderet in vallem
Gethsemani, ubi tradendus erat in manus Ju-
dæorum ad mortem, ait D. Matth. 26. num. 30.
Et hymno dicto exierunt in montem Olivæ.
Seu ut legit Græcus: Hymno decantato Syria-
cus; Dixerunt hymnodiam. Quid est quod an-
tequam ad sævam Crucem ac mortem Domi-
nus in hortum tendat, cantet, imò nunquam
cantasse legitur, nisi modò mortem iam obi-
turus; funeri sui cantor dicitur candidus Cy-
gnus ut significaret Christum quàm spontè, ac
hilaris animo properaret ad mortem sibi ex-
pectatam Patri obediens nostram redemptionem
operans cantare cepit ut nos ex eius exemplo
d scamus in morte, labore, ac pressura pro
Deo, non pro tristitia lachrymas fundere, sed
pro gaudio in cantica exultationis erumpere.
D. Chryl. st. homil. 83. in Matth. ait. Hym-
num cecinit, ait, ut nos quoque similes faciamus;
& ad montem proficiscitur, ad locum etiam Iudæ
notissimum.

205. Habac. 3. Græcus, D. Hieron. Theod. Vatabl. Arias. Jansenius. Cornelius, & a. ii. & patet ex ipso contextu n. 6. Aspexit & dissolvit gentes, & contritæ sunt montes sæculi. Et n. 16. Ingre-
diatur puerpera in ostium meum, & subter me scateat. Et n. 17. Abscinditur de ovili pecus, & non erit germen in vineis. Quomodo ergo tantæ ca-
limitates, oppressiones ac tyrannides à Barba-
ris illatæ in odium populi Dei non lachrymis, sed festivo cantu celebrantur? Labores arum-
ræ, quæ pro gloria Dei, ac solemnibus eius hono-
re sustinentur, ut erant quæ Israël patiebatur,

In illi crucia-
tus celebrant
non lachry-
mis, sed can-
tibus.

non metu, sed præiucundo cantu habentur, ac
solemnifantur. Unde ipse Propheta concludit:
Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu
meo. Et inde à Propheta titulus apponitur: Ora-
tio cum cantico. D. Cyprian. lib. 1. contra Demetri-
um. V. get, ait, apud nos inter ipsas sæculi la-
bentis ruinas erecta mens, & nunquam nisi læta
patientia, ac de Deo suo anima semper secura.

Sancti tres pueri Ananias, Mizaël, & Aza-
rias, in Regis palatio jejunant, & legitimum
vescuntur, Daniel. 1. n. 12. & tamen hi tres viri
missi in caminum ardentem inter flammam,
hymnum decantabant, & uno ore benedicebant
Deum in fornace, Daniel. 3. n. 51. Sancti inter
mundi delicias jejunant, & mortificationem
sibi assument, ac inter cruciatus & flammam
maxime lætantes hymnodiam canentes. D. Bo-
nav. in speculo discipuli 1. p. Cantant pueri hym-
num, ait, quod maximè inhabitantis gratia signum
est, & spiritualis laetitiae.

QUESTIO XXVII

Quare in proximo Epistole Episcopi
Smyrne apponitur: Hæc dicit pri-
mus, & novissimus, qui fuit
mortuus, & vivit?

RATIONEM litteralem, & genuinam jam
dixi, & explicavi in Expositione, quæ
breviter hic inculcanda est, & eam tradit
Richard. de S. Victor. qui ait. In eo, quod
ait primus & novissimus, ostendit eum tri-
bulatis posse subvenire. De eo autem quod sub-
jungit, qui fuit mortuus, & vivit, cum mor-
tuos posse suscitare; Hoc dicit primus, &
novissimus, qui fuit mortuus, & vivit, quæ
diceret, ne desicias, si contingat pro nomine
meo tribulationem sustinere, vel mortem subire,
quia ego sum primus, & novissimus: sciens
sum in tribulatione adjuvare, & qui fuit mor-
tuus, & vivo, potens sum de morte suscita-
re: dum ergo me talem auditis, de utroque fidan-
ciam sumite, & sequid propter me congeris ad-
versus vitæ sustinere. Max. me contoveritur,
cur scribens huic Episcopo Smyrno, hæc Epi-
theta sibi assumit Christus, hæc dicit Primus &
Novissimus, qui fuit mortuus, & vivit. Multas
tribulationes, ac persecutiones futuras prædi-
cit Dominus huic Episcopo. Ecce missurus est
diabolus aliquos ex vobis in carcerem, & c. Sis
fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam
vite: & qui vicerit, non ledetur a morte secunda.
Ut ergo Episcopus, & eius populus læti certen-
rent pro Christo, dicitur ab eo se esse Primum,
ac Novissimum, quod ut dixit cap. 1. q. 76. pro-
prium est Dei, ac proinde ut deus verus potest
ei auxiliari, subvenire, & præmia dare. Quis
fuit mortuus, & vivit. Qui quamvis fuerit mor-
tuus pro hominibus, in vitam gloriosam resur-
rexit. Ita faciet vobiscum, si pro eo mortui fue-
ritis, de sua gloria, ac maiestate Christus suos
participes facit.

Secundò, Rupertus. Quo perimus, ait, &
illud addere, qui fuit mortuus, & vivit: nimi-
rum ad magnum cumulum consolationis. V. sciat
qui

209. Labor via
ad Cælum,
scala ad
præmium.

209. Rupertus.

Christi Pas-
sio nos ur-
get ad labo-
res sustinen-
dos.

D. Pa. hab.

210.

Act. 8.

208.

qui mortificatus sequendo vestigia Christi vivit;
quem admodum, cura fuerit mortuus, nunc vi-
vit. Ad quid Angelus mortuum Christum pro-
ponit, deinde resurgentem; Ut ipsum Episco-
pum, ac quoscumque alios fideles, ad ques-
bet alios labores sustinendos induceret, deno-
tans, quod ille, qui vestigia Christi sequitur, ac
pro ipso laborum onere oppressus mortem op-
petiverit, ab ipso æterna vita donandus erit:
cujus via sunt labores, scalaque ad magna præ-
mia assequenda.

Tertiò Idem Rupertus. Tu à quolibet culmi-
ne temporali detectus propter justitiam, quasi be-
mo ignobilis, opprobriis, & insuper plagis veri-
ferosilibus, sed quantum hoc est, si ad illum res-
picias, qui propter te passus est, tibi relinquens
exemplum, ut sequaris vestigia eius? Ille nam-
que cum apud Deum esset primus, & pretiosus
secundum alteram naturam Filii Dei, secun-
dum alteram Filii inemeratæ Virginis, cum in-
quam sic esset primus, & optimus, apud homines
fuit novissimus, id est vilissimus. Quid ergo mag-
num sit te, o homo, & non Deus, de tuo honore,
quantum locumque propter illum desectus. Dicitur
Christus primus, & novissimus, ut potè
verus Deus, & homo, quia ut verus Deus,
est primus: ut homo factus est virorum no-
vissimus; hunc talem se nominat apud Præsa-
lem Smyrnam, ut eum ad sui exemplum
provocaret; tanquam si ei diceret; si tu pro-
pter fidem, ac iustitiam multa sustineas quan-
tum est hoc si ad illum respicias: qui cum esset
apud Deum primus, id est omnium excellentis-
simus, pro tua ac omnium salute vilissimus,
& abjectissimus factus est; ex cuius iuspecta
passione flamma quedam incidi in huius anis
cordibus ad durissima quæque devoranda.
Unde ait Divus Pater in cap. 1. Matth.
Quanto plus Dominus astringit est passio-
nem, tanto amplius fructus sui in mundo effudit sa-
pientiam.

Ethyops Princeps Eunuchus Regiæ Can-
dacis venit Hierosolymam Deum adorare:
ubi audivit voces Apostolorum prædicantes:
miraculaque ab ipsis facta, & simul multas
Judæorum persecutio es in ipsos Apostolos:
& cum ille rediret in patriam suam, Philip-
pus à Spiritu sancto adductus eius curru ad-
hæret, qui cum hominem reperisset Isaiam
legentem, de lectionis materia quærit: &
tunc notanter ait textus actor. 8. num. 32.
Locus scripturæ quem legebat, erat hic: Tan-
quam ovis ad occisionem ductus est: & si ut
Agnus coram tondeute se, sine voce, sic non
aperuit os suum. Locum hunc legebat Eunu-
chus, Philippusque de Iesu morte, ac Passio-
ne explicat; sicque hac explicatione retenta,
cum ad fluentia aquarum devenissent, clamat
Eunuchus. Ecce aqua quis prohibet me baptiza-
ri. Alii transferunt. Quid prohibet me baptiza-
ri? Ac si cum Paulo diceret: neque mors, ne-
que vita, neque instauratio, neque futura, neque
tribulationes, ac cruciatus, quos Hierosolymis
vidit, me prohibere possunt, quin fidem ac-
cipiam: Unde tantus fidei ardor incaluit in
pectore gentili hominis? Ipse Hierosolymam
venerat Deum verum adoraturus: vidit huius
religionis cultum, miracula ab Apostolis edita,
audivitque eorum voces prædicantes, & tamen

non ita ad fidei desiderium accenditur, ut
idololatriam relinquat. Cur non timeret gla-
dios, pœnas, cruciatus à Judæis in Christia-
nos machinatos, sed contemptis omnibus im-
pedimentis ad aquas Baptismi currit? Unde
illi tanta fidei flamma: Ex maculatione inno-
centissimæ ovis, ex detensione immaculata
Agni, ex effuso sacratissimo sanguine eius co-
gnito, & intellecto, statim in pectore eius
exorta est salutis fames, & tam fervido, ac ra-
pido cursu fertur ad Christi fidem amplecten-
dam, ut omnia mundi impedimenta rideat, nul-
laque reparet. Eleganter D. Gregorius Nyssen.
lib. de Baptismo. Gustavit, ait, in interpretationem
tanquam bonus cavulus sanguinis, & agni oc-
cisi, vehementer adlatravit Philippum donec
eum deduxit ad perfectam venationem Prophe-
tiae, & minime operosum à se positum Baptisma
accepit.

Meus Iesus cum comprehendendus esset pro
peccatis totius generis humani, de suis Di-
scipulis sollicitus carnificibus imperat: Sinite
hos abire, ut impleatur sermo, quem dixi:
quos devisti mihi non perdidisti ex eis quem-
quam. Ioan. 18. numer. 8. Ne Apostoli in per-
ditionem abirent, curat Iesus, ne tunc tem-
poris comprehendantur; Apostoli destinati
erant ut carceri, verberibus, gladiis, ac morti
traderentur, ut in his glorioso subliarentur
triumpho, cur ergo tanta cautione provide-
tur, ne comprehendantur illo tempore articu-
lo, ne eorum perditioni occasio detur? Non-
dum erat Christus passus, nondum exemplar
eius sacratissimæ Passionis positum erat ante
discipulorum oculos, & tunc eorum ruina
in tormentis t meri poterat ante vitam Iesu
Passionem, ac post hanc oculis objectam secu-
rissimè omni cruciatus, ac pressuræ traduntur
ut de illis triumphaturi, quis Christi morte
considerata mortem timeat ex effuso sanguine,
Iesus venit, ut quisque omnes difficultates
pro eius amore ebibat. Venuste Philippus
Abbas Epistol. 14. V. igitur sermo: ait, quem
de illis non perdendis dixerat impleatur,
reservato persecutore, illorum quispiam non tene-
tur; sed pro salvandis illis prior elegit ipse mori,
ut postmodum facti fortes eam referant salva-
tori.

QUESTIO XXVIII.

Quare cum manifestum sit, quod om-
nia sunt nuda, & aperta oculis Do-
mini, tamen tanquam quid singu-
lare ait huic Episcopo: Scio tribu-
lationem tuam, & paupertatem
tuam.

Valde apertum est quod Deo nihil est in-
cognitum, sed omne est manifestum,
& apertum ante oculos eius. Cur ergo huic
Præfati tanquam quid singulare dicitur à Do-
mino: Scio tribulationem tuam, & paupertatem
tuam?

213. Richard.

Respondet primò Richardus à S. Victore. Nisi pro Christo sustinisset, ipse Christus ejus tribulationem & paupertatem se minime scire dixerit. Quia in eo quod dixit scio illum; utriusque monstravit se propter se sustinere, & sic utrumque designavit approbare. Quamvis Deus omnia sciat tam bona quam mala. non tamen omnia approbat, sed multa reprobat. Pro magna ergo laude hujus Episcopi dicitur ei à Domino Scio tribulationem tuam, &c. Significat enim se ejus opera approbare grata habere, & multum aestimare & ideo in ipsis laboribus nullum aliud dat ei levamen, ac consolationem, nisi quod ipse sciat ejus opera, seu ipsa approbet, nihil enim felicius, ac iucundius potest contingere homini, quam quod ejus opera sint grata, & approbata à Deo, à quo est origo omnium bonorum.

214. Albert.

Secundò Albertus Magnus. Nota quod dicit, Scio, in quo innuit quod bonum est tali domino servire, qui non dat oblivioni servitium famulorum. Ad quid Dominus dicit huic Episcopo se scire ejus tribulationem, & paupertatem, quam pro eo sustinebat. Optime hoc proponit huic Episcopo, & in eo omnibus, ut cunctis fiat evidens, quam bonum est Deo obsequi, cum nequaquam obsequia sibi præstita oblivioni tradat, sed quamvis sit in gloria, ac majestate, semper illa intuetur, ac respicit, & ante oculos habet, ut multo præmio remuneret.

215. Rubertus.

Tertiò Rupertus. Quod tunc dicit, ait, scio vehementer, & eodem pondere altum debet intelligi, quo iam propheta dixerat de illo, & videmus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem: Scientem dixit infirmitatem prout diceret, experimentum infirmitatis habentem, itaque & hic scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, id est tribulationis, quam patieris, experimentum habeo; & paupertatem, quam sustines, in memetipso expertus sum; hujus experimenti memor Apostolus dicit. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato: tentatus namque est fame, siti, persecutione, & morte; & inde scio, inquit tribulationem tuam, & paupertatem tuam: nam ego talis idem scio, idem expertus sum. Maxime ponderanda est connexio, & dispositio verborum textus; immediate ante dixerat, qui fui mortuus, & vivit; & statim adunxit: scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam. Quamnam connexio inter unum & alterum? Magna sanè, tanquam si ei diceret, ego ipse, qui expertus sum dolores mortis in tribulatione, angustia, ac fame, ego ipse scio tribulationem, ac paupertatem tuam; solum ille, qui expertus est oppressiones tribulationum paupertatis ac famis solum ipse scit; & agnoscit ejus angustias, & solus ipse ei debita præmia potest persolvere. Nam ego talis idem scio, idem expertus sum. Pro ergo magno levamine, ac consolatione tua fit, quod tribulationem, & paupertatem sustines pro me, qui pro te sustinui tribulationem, & paupertatem, illarumque angores optime scio, & agnosco.

Christus expertus in omni tribulatione, ac fame suorum angustias optime agnoscit.

216.

Ioseph cum se fratribus manifestat, de scelerare eos consolatur dicens: Non vobis durum esse videatur, quod venia distis me in his regio-

nibus: pro salute enim vestra misi me Deus ante vos in Ægyptum. Genes. 45. n. 5. Quæ verba sic transferuntur à Philone lib. in Ioseph. Idem casum non vobis impio: sed Deo, qui me suorum beneficiorum difficillimis temporibus executorum esse voluit. Non fratrum scelere, sed alta Dei providentia effectum est, ut Ioseph descenderet in Ægyptum teneretque illius clavem, essetque tempore famis alimoniam administrator; sed cur ad hoc tanta, ac tam diversa præmittuntur à divina providentia, ut Ioseph tanquam servus sit venditus in Ægyptum, ibique inter Regis vinculos in carcere ac vinculis fame, & siti oppressus teneatur, difficilimè temporibus ordinabatur Ioseph, ut esset tritici ac panis distributor, inde ipse prorsus sibi fame, ac egestate opprimatur; ut inde bene eruditus se at aliorum fami, ac egestati subvenire: cui solus opportunus auxiliator adest, qui illorum angores, ac angustias expertus est.

Appropinquante jam Passionis hora ingreditur Iesus in hortum Gethsemani, & à Discipulis suis: Progressus pusillum prociidit in faciem suam orans; Pater si possibile est, &c. Matth. 26. num. 39. Quæ verba commentans D. Casar. Arelatensis homil. 34. ait. In Evangelio scriptum est, quod prociidens in terram oraverit. Quid enim indigebat Christus, ut taliter oraret? orat Iudex, & desiderat parcere. Maxime expendenda est mens Sancti Patris: Prociidens in terram orat Iudex, & desiderat parcere. Ipse qui est omnium Iudex, omniaque agnoscit & intuetur: prociidens orat præ vehementia agonie, ac angoris, quia desiderat parcere, pro nostro magno documento, quod solus ille Iudex, qui olim prociidens in faciem suam oravit, agnoscit, & penetrat angores illius, qui prociidens orat, ut inde moveatur ut parcat? Christus D. optime agnoscit, & intuetur: tamen ipse omnium Magister suo documento nos voluit erudire, quod solus ille Iudex penetrat afflictionem prociidentis in terram; qui olim prociidens oravit.

QUESTIO XXIX

Quare cum tribulatione, quam hic Episcopus patiebatur, conjungitur paupertas?

Ait Dominus huic Episcopo, scio tribulationem, & paupertatem tuam. In quo ut notat Richardus de S. Victore. Duplici itaque laude dignus iste exiit; qui duplicia mala pro Christo sustinuit; nempe tribulationem, & paupertatem.

Et merito utrumque conjunxit, tribulationem, & paupertatem. seu ut pro tribulatione legit Tigurina afflictionem. Nam ipsa paupertas est magna tribulatio, afflictio, & Martyrium, ut eam appellat D. Chrysostomus homil. de divite tom. 5. Habet paupertas Martyrium suum, & egestas bene tolerata facit Martyrium;

Genes. 45. Philo.

Qui sustinuit penuriam sitis, & famis, ille bonus est auxiliator.

217.

Muth. 24. Cas. Arelat.

Solus qui oravit, & prociidit in faciem suam, & intuetur.

218.

Aichard.

219.

Tigurina.

D. Chry.

Voluntaria paupertas Martyrium.

220. Matth. 5.

Pauperi, ac Martyrii idem premium assignatur.

D. Bernard.

221. Exod. 15. Pagnin.

Paupertas est elationis, & superbiae.

222. Ansberr. Humilis omnibus bonis celestibus ditatur.

ritium, sed egestas propter Christum, non propter necessitatem. Tanta est excellentia paupertatis bene toleratæ pro Christo, ut ipsa Martyres eriam qui pro Christo egestate premittuntur; tam crudelis videtur paupertas tolerata, ac ipsa mors perpeffa.

De pauperibus ait Christus D. Matth. 5. num. 3. Beati pauperes spiritum quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Et de persecutionem sustinentibus ibidem num. 10. subdit. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Quare cum in aliis virtutibus, seu beatitudinibus diversa præmia assignentur, ut mitibus terræ possessio lugentibus consolatio, mundis corde Dei visio; at pauperibus, & persecutionem sustinentibus eadem beatitudo pro præmio constituitur; Paupertas voluntaria Martyrium quoddam est, sicut ergo pauperes, & Martyres veluti sub eodem cruciatu suo modo premuntur, ita etiam sub eadem corona conspiciuntur. Et sicut pari fortitudine mundana quæque pessundant, sic & simili præmio exaltantur, & sublimantur. D. Bernard. serm. 1. in Festo omnium Sanctorum. Quid sibi vult, ait, quod eadem promissio facta est pauperibus, & Martyribus; nisi quia verè Martyrii genus est voluntaria paupertas. Quod Martyrium gravius est, quam inter opulas esurire; inter vestes multas, & pretiosas algere? Denique pauperibus propterea pariter, & Martyribus regnum Cælorum promittitur: quia paupertate emittuntur, sed in Passione pro Christo absque omni dilatione percipiunt.

Cum Israël fugeret ab Ægypto, illum Pharaeo copioso exercitu insequabatur, & multo furore repletus fugientem populo comminabatur: Persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum; interficiet eos manus mea. Exod. 15. num. 9. Pro ultimis verbis Pagnin. ex Hebræo legit; Paupertate conficiet eos manus mea. Ac si idem sit gladius ad interficiendum, ac paupertas; nam idem videtur aliquem in paupertatem reducere, ac e vita tollere; est enim paupertas dirum Martyrium, & antequam vitam tollat, maxime cruciat, ac affligit.

QUESTIO XXX.

Quare si iste Episcopus sustinet paupertatem, quomodo dives appellatur.

Dicitur huic Præsuli à Domino; Scio tribulationem, & paupertatem tuam, sed dives es. Ambrosius, Ansberrus hinc per paupertatem interpretatur humilitatem mentis; & sic ait: Quæ est dives paupertas, nisi contritio spiritus, quia superbia minuitur, augetur humilitas; Dicitur itaque cuiuslibet electorum. Scio paupertatem tuam, tanquam si diceretur, unde te per humilitatem spiritus pauperem existimas, inde per omnia dives comprobabis: ista enim paupertas spiritus Sylveira in Apocalypsim. Tom. I.

ritualium virtutum congregatas divitias conservat, quæ si desit, cunctas elatio tollit. Itaque præfatus auctor per paupertatem non intelligit indigentiam temporalium rerum, sed mentis humilitatem: verè enim humilis se judicat spoliatum omni virtute, ac talento, indignamque omni dono, ac bono celesti; & inde dives, quânto enim quis se deprimit, tanto magis à Deo exaltatur; & quânto quis se magis indignum reputat omni dono, tantò majoribus à Deo cumulatur.

Genuinè tamen, & ad litteram respondet Andreas Episcopus Cæsariensis. Ab omnibus facultatibus exutus es, interim spiritualibus opibus affluis, utpote thesaurum absconditum in pectoris agro defossum servans. Si pauper, quomodo dives? Dives omnibus bonis repletur; pauper illis est destitutus. Quomodo ergo potest coherere, quod sit pauper, & dives? Optime sanè, qui enim terrena substantia pro Deo destituitur in supernis plenitudine donorum celestium augetur, & crescit; ipsa enim renuntiatio temporalium pro Deo, semen est quod generat, ac parturit amplum cumulum spiritualium bonorum. Huc advoco quod cum Ioseph esset ex multa sua inopia ad magnam opulentiam evehctus, posteriori filio suo nomen imponens, Ephraim, id est frugiferum, vocat dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Genes. 41. num. 52. Quasi opulentia ex inopia tanquam fructus ex semine nasceretur.

Ait Christus suis Discipulis in ultima cæna, Quando misi vos sine sacco, & opera, & calcamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Luc. 22. numer. 35. Cum nudum Jesum sequentes, sacco & peram abiciunt, nihil eis deest, ac si illa abnegatio sacco, peræ, ac calcamentorum, esset semen ad copiosum fructum edendum, ut nullius inopia laborarent, sed ex Iesu providentia illis suppeditarent euthym. ibi. Cum ergo, ait, prohibuit, eos habere sacculos, & peram, ac similia tunc nullo indiguerunt, ut ejus potentiam, ac gratiam agnoscerent. Ex quo fit quod ille, qui propter Deum plura reliquit, eò plura habere videatur; Ait David. Oculi ejus in pauperem respiciunt, Psalm. 10. num. 9 ubi D. Chrylostomus, Theodoret. & Eusebius in Bibliis Sixtians legunt; Oculi ejus in rotarum orbem respiciunt. At renuntiatio totius mundi facta à paupere fit & totius ipsius mundi possessio, cui coheret illud ejusdem Vatis; Nimis confortatus est principatus eorum, Nimis corroborati sunt pauperes eorum, ac si idem sit pauper, ac principatus, & dominatio totio r bis.

232. Andr. Cæs.

Paupertas magna opulentia semen.

Genes. 41.

224.

Luc. 22.

Euthym.

Psalm. 10.

D. Chryf. Theodor. Euseb.

Paupertas mundi possessio, ac principatus.

Psalm. 138.